MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80249-27

AUTHOR:

KNICK, K. D. G.

TITLE:

QUAESTIONUM AESCHYLEARUM...

PLACE:

GOSLIN

DATE:

[1838]

Master Negative #

91-80249-27

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Knick, K D G
Quaestionum Aeschylearum specimen scripsit K.D.G. Knick... Göslin, Hendess, [1838]
13 p. 25½ cm.

Jahres-bericht über das Fürstlich-Hedwigische gymnasium zu Neustettin,..1838.


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x2A
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/19 INITIALS BD
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202


Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QUAESTIONUM AESCHYLEARUM
SPECIMEN

scripsit K. D. G. Knick, Dr. phil.

Jahres-Bericht

über das

Fürstlich-Hedwigische Gymnasium zu Neustettin

für den Zeitraum Jul. 1. 1837 bis dahin 1838,

womit zu der am 8ten October 1838 anzustellenden

Prüfung der Zöglinge des Gymnasiums

das Wohllöbliche Curatorium der Anstalt, so wie die Eltern der Schüler und alle Freunde des Schulwesens und des hiesigen Gymnasiums

ehrerbietigst und ganz ergebenst einladet

A. Giesebrecht,
Professor und Rector des Gymnasiums.

Cöslin, gedruckt bei C. G. Hendeß.

QUAESTIONUM AESCHYLEARUM

SPECIMEN.

Quaestiones quasdam Aeschyleas quum ante hos fere septem annos, seminarii philologici Sedinensis sodalis, cum collegis communicarem, acceptum quidem mihi accidit, ut eas non improbatas viderem; adhortantibus vero nonnullis, ut earum specimen quidem in publicum emitterem, restiti, quum quod aetate ad scribendum promtissima abripi me pati nolebam neque eorum numerum augere, quorum scripta non legantur, tum quod praeclarum illud Horatii bene memoria tenebam: si quid tamen olim scripseris, nonum prematur in annum membranis intus positis. Atque ita quidem etiamnunc institui, ut temporibus subsecivis, quum scholasticis muneribus aliquando essem liberatus, ad lectionem Aeschyli saepius interruptam me referrem et semel excogitata denuo revolverem. Nunc vero quum scribendi necessitatem leges mihi imponant atque ordine poscar, scriptionis materiam ea sumsi, quae vel ad emendandas Aeschyli fabulas vel interpretandas proferri posse judicarem, atque ex iis aliquid prelo typographi subjicere constitui, quod annalibus gymnasii praefigatur. Quodsi libellus nondum nonum premitur in annum, idcirco nolim certare cum necessitate, praesertim quum fieri possit, ut gignatur etiam post septimum maturus.

Sed ut ad rem veniam primum ad Choephororum tertiae scenae chorum me vertam in editione Blomf. inde a versu 577 descriptum. Cujus sensum si quis nonnisi in universum respicit, facillime licet conjicere, quidnam poeta omnino sequutus sit; at si quis ad singula propius accedit, multis hoc canticum incommodis laborat, quae etiam augentur antistrophis cum strophis collatis, quare viri docti multimodis tentarunt, neque, quum menda latere viderentnr, ea intacta reliquerunt, quae sana et ad metrum sensumque apta sunt; sed ne sic quidem, quod et a sensu et metro loco omnino satisfaceret protulerunt. Subjiciam stropham α et antistropham sicuti eas constituendas esse duco.

Str. α.

Πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει
δεινὰ δειμάτων ἄχη,
πόντιαί τ᾽ ἀγκάλαι κνωδάλων
ἀνταίων βροτοῖσι.
πλάθουσι καὶ πεδαίχμιοι
λαμπάδες πεδάοροι,
πτᾶνά τε καὶ πεδοβάμον᾽ ἀπ᾽ ἀνεμοέντων
αἰγίδων φράσαι κότον.

Antistr. α.

ἀλλ᾽ ὑπέρτολμον ἀν-
δρὸς φρόνημα τίς λέγοι,
καὶ γυναικῶν φρεσὶν τλημόνων
παντόλμους ἔρωτας,
ἄταισι συννόμους βροτῶν;
συζύγους δ᾽ ὁμαυλίας
θηλυκρατὴς ἀπέρωτος ἔρως παρανικᾷ
κνωδάλων τε καὶ βροτῶν.

Ita si legitur, omnes difficultates servata propemodum ubique vulgata lectione removentur, sententiarum nexus est planissimus, metrum antistrophae accurate strophae respondet et apte facileque decurrit. Restat, ut, quanta probabilitate textus sic exhibitus proxime ad genuinam lectionem accedat, demonstrem.

καὶ ante *δειμάτων* in omnibus libris legitur, sed nec metro convenit, nec desiderat antistropha, cui sola de causa, ut strophae metro exaequarent, particulam *ἂν* hoc loco non necessariam inseruerunt, sensum autem perturbat, quare jam Schutz. Heath. Herm. omiserunt. Atque inferri textui facile poterat, si quidem *δεινὰ* substantivum accipiebant. Blomf. quidem *καὶ* transponendum esse duxit, quod Graeci nonnisi *πολλὰ καὶ δεινὰ* loquuti essent; at vero *καὶ* etiam omissum esse constat Pers. *v.* 831. *ὥς με πόλλ᾽ ἐσέρχεται κακὰ ἄλγη.* Agam. *v.* 1061. *πολλὰ συνίστορα αὐτοφόνα κακά.* Choeph. *v.* 275. *πολλὰ δυστερπῆ κακά,* aliis: itaque *καὶ* e textu ejiciendum esse censeo.

δειμάτων ἄχη habent editiones veteres. Herm. et Schutz. scripserunt *ἄγη*, sed genitivi *δειμάτων* et *κνωδάλων* requirere mihi videntur *ἄχη*, quia poeta miserias monstris ortas significare vult, quod verbo *ἄγη* non potuit, quum nusquam hac potestate inveniatur; restitui igitur vulgatam *ἄχη*.

βροτοῖσι recepi, quod libri editi ac manuscripti tuentur. Blomf. Schutz. alii propter metrum solum in *βροτοῖς* mutarunt; sed mendum non in hoc verbo latet, verum in *βλαστοῦσι*, quod e textu ejeci, qua emendatione textus id effecisse mihi videor, ut stropharum et metrum et sensus plana fiant. Exhibent enim Ald. Rob. Cant. *πλάθουσι βλαστοῦσι καὶ πεδαίχμιοι λαμπάδες πεδάμαροι;* Turn. *μεταίχμιοι.* Glasg. *πεδάοροι.* Ita si scribi velis, multa impedimenta objiciuntur: primum enim haec verba id habent incommodi, quod antistrophae metro repugnant, neque licet conjecturis variis prolatis cum eo conciliari possunt, deinde vero verbum *βλαστέω* in praesenti tempore Atticos nou usurpasse constat, neque alias usquam iu Aeschylo reperitur, tum *βλαστοῦσι* cum insequentibus verbis conjunctum sensum non admodum aptum praebet, quare cum *βλάπτουσι* mutarunt, denique quem non offendat antecedente verbo *βροτοῖσι* terminatio post *ουσι* iterata *ουσι*, quamvis diverso accentu, et rhythmus, quem verba praebent tam invenustum atque ineptum, qui ceterum in hac stropha tam facilis atque expeditus exsistit, postremo commemorabo etiam v e r b a nimis accumulata, id quod Aeschylo non admodum est frequentatum ac nostro loco prorsus ineptum. His incommodis adducti interpretes non injuria locum mutilatum putarunt et conjecturis sanare quaesiverunt, scd plerumque tam audacter egerunt, ut vulgatae lectionis vestigium vix superesset. Schutz. primum ut metro consuleret, vulgatam *βροτοῖσι* in *βροτοῖς* mutavit, tum pro *βλαστοῦσι* scripsit *βλάσταις;* sed quum ne hac quidem conjectura id efficeret, ut metrum exaequaret, etiam antistropham mutandam censuit, et loco verbi *παντόλμους* reposuit *πανάθλίους;* verum nec ita metrum omnino adjuvit, et sensum strophae intulit non admodum aptum, namque ita interpretatur: „marini recessus beluarum hominibus infestarum foetu repleti sunt.“ Sed quomodo poeta hic apte beluarum foetum memoret, quum ceteris verbis beluas ipsas significet, haud facile intelligitur. Blomf. cum Butlero in textum recepit *βλάπτουσι* et metri causa *βροτοῖς*, in antistropha vero *παντοτόλμους*, nalla quidem codicum auctoritate, sed nec sensus difficultatem eo sustulit et metrum prorsus pessumdedit, nam, quum difficultatem, quam verbum *βλαστοῦσι* exhibet, removeret, tamen non omnia incommoda, quae supra significavi, expedivit, imo etiam nova intulit, quia verbum *βλάπτειν* absolute accipiendum esset et minus apte id exprimeret, quod poeta sequitur, qui omnia, quaecunque in rerum natura exstant terribilia atque horrenda, enumerare et cum audacissimo hominum animo comparare studet, quare, quantum hoc verbum langueat, facile apparet. Martinum ex programmate gymnasii regii Posnaniae DCCCXXXVII. edito cognovi ad hunc locum conjecisse pro *βλαστοῦσι* scribendum *αἰστοῦσι.* Sed terminationem *ουσι* rhythmo non convenire et v e r b a nostro loco nimis accumulata mihi non placere supra jam usurpavi; deinde vero notio verbi *αἰστοῦν* parum mihi quadrare videtur in cetera verba, quibus poeta in hac stropha usus est ad ea depingenda, quae in omni rerum natura exsistunt terribilia. — Aliorum conjecturis supersedere possum, quum nihil fere neque novi neque probabile attulerint. Jam vero, quod supra memoravi, vulgatam intactam relinquendum et verbum *βλαστοῦσι* tantum e textu ejiciendum esse censeo, quippe glossam esse verbo *πλάθουσι* adscriptam puto, quod nostro loco significatione non admodum frequentata usurpatur. Etenim *πλάθουσι* non cum interpretibus pro *πλήθω* positum esse accipio, sed nostro loco idem est ac *πλάζω*, quo quidem verbo poeta sicuti *ῥηγνύναι*, Pers. *v.* 197, 466. *φέρειν*, *κομίζειν*, *ῥίπτειν* aliis media potestate usus est, ut Sophocl. in Phil. *v.* 717. *ἵνα ὁ χάλπασπις ἀνὴρ θεοῖς πλάθει*, quod Schol. interpretatur per *πελάζεται*, quare facile aliquis adduci poterat, ut hoc verbum interpretaretur glossa adscripta. Quodsi quis contra dicat omnes libros eandem exhibere scripturam neque usquam hoc verbum omissum esse, haec parum me movent, quum manuscripta Aeschyli omnia ex uno eodemque codice eoque non optimo fluxisse videantur, et qui vel praestantissimus habetur codex Mediceus tantis vitiis inquinatus inveniatur quantis vix alius auctoris textus, quare, si omnes eandem habent lectionem, mirum non est. Jam vero si post *βροτοῖσι* distinguitur, omnia expedite et a sensu et metro procedunt, etenim ad *πόντιαι κ. τ. λ.* supplendum est ex praecedentibus *τρέφουσι*, genitivus *κνωδάλων* autem pendet ex *ἄχη*, et *πλάθουσι* ad insequentia referendum est, quae ita dedi: *καὶ πεδαίχμιοι λαμπάδες πεδάοροι*, siculas formas retinens, quibus Aeschylus, quum diu in Sicilia apud Hieronem versaretur, nonnumquam usus est. Opineris poetam hic fulgura significasse, utpote quae horrorem mortalibus injicerent, sed quum vocem communem *λαμπάδας* adhibuerit, etiam sidera, quae in Agam. v. 5. *τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος βροτοῖς λαμπροὺς δυνάστας ἐμπρέποντας αἰθέρι* nuncupat, imprimisque solem subaudivisse arbitror; sunt igitur med o in aere ignes aetherei, qui incommoda multa hominibus suscitent.

πτηνά τε καὶ πεδοβάμονα κἀνεμοέντων Αἰγίδων φράσαι κότον. Sic Wellauer edidit et verba cum *βλαστοῦσι* jungens ita vertit: „solis radii alata atque reptilia animalia procreant“ qui sensus nostro loco, si quis universum sententiarum nexum respicit, certe prorsus ineptus est. Schutz. cum Heathio *φράσαι* in *φρίσσει* mutavit et verba interpretatur: „et sublimes dirasque faces nec non ventosarum procellarum rabiem exhorrent volucria et qua-

„drupedia." Haec sententia nec cum praecedentibus cohaeret et ab eo sensu, quem poeta persequitur, valde abhorret. Apertum est poetae animo in hac stropha obversatam esse quatuor elementorum vim, quorum incommoda, quae hominibus adferant, leviter depingit, qua in re cui non in mentem veniat simillimi loci in carmine Schilleri nostri „das Lied von der Glocke." Hermannus hujus loci sententiam perspexisse et genuinam scripturam proposuisse mihi videtur, qui ita scribi vult: *πτᾶνα δὲ καὶ πεδοβάμον' ἀπ' ἀνεμοέντων αἰγίδων φράσαι κότον*, quod quidem Wellauer se non intelligere ingenue fatetur, nec ceteri interpretes respexisse videntur, sed certissima est haec emendatio modo pro *δὲ*, quod Hermannus pro *τε* recepit, vulgatam librorum scripturam *τε* serves, ita fere nihil vulgatae mutatur. Est enim scriptura cod. Guelph. et Ald. *πεδοβάμον' ἀκ ἀνεμοέντων*, quam optime correxit Hermannus. Jam si *πτᾶνα*, quod libri omnes exhibent, adjectivum accipis, quod quidem non nisi nostro loco reperiri videtur, et cum *πεδοβάμονα* ad *κότον* refers, nihil est cur meliorem sententiam desideres, namque in genere masculino interpretes offendere non debebant. Jam vero sententiarum nexus in hac stropha hic est: Multas quidem terra alit graves calamitates formarum horrorem incutientium, marinique recessus monstrorum mortalibus inimicorum, appropinquant etiam medio ex aere ignes aetherei; considera etiam volucrem aera et terram radentem procellarum rapacium rabiem. Sed horum omnium, poeta in antistropha pergit, nihil exaequat hominum mentem audacissimam. Ita antistropha per *ἀλλὰ* opponitur universae strophae et separatim particulae *μὲν* in capite strophae. neque enim quisquam Blomfieldio adstipuletur, qui *ἀλλὰ* ultimis tantum strophae verbis opponi putat, quae in favorem suae explicationis mutavit, et loco *φράσαι* scripsit *φράσαις ἄν*, interpretans: „possis etiam ventorum rabiem describere, sed hominum mentem quis est qui verbis assequatur?" Nemo est qui non videat quam inepte hic opponatur ventis mens hominis; poetae potius haec est sententia: multa quidem esse in rerum natura terribilia et horrenda, omnia vero esse inferiora mente hominis audacissima, id quod exemplis illustrat allatis in antistropha β et γ.

Antistrophae verba *ἀλλ' ὑπέρτολμον ἀνδρὸς φρόνημα τίς λέγοι* in omnibus libris editis ac manuscriptis sic leguntur. Blomf. et ante eum Pauw. et Heath. particulam *ἄν* requiri judicarunt. Est quidem in ejusmodi locutionibus usitatissimum particulam *ἄν* adjungi, sed exstant tamen permulti loci, ubi librariorum incuria omissam esse non licet affirmare, quare nolim emendare, quum sane plurimis tum emendationibus opus esset. Sed interest etiam, utrum in ejusmodi locis *ἄν* adjiciatur necne: particula *ἄν* apposita, sententia nimirum est hypothetica et refertur semper ad positionem sive praemissam sive supplendam, quod secus est *ἄν* omissa. nostro loco sententia dubia pronuntiatur. comparari potest hoc loquendi genus alterum cum Latinorum Imperfecto Conjunctivi alterum cum Praesenti. Exempla nostro loco similia accumulare supersedeo, ex Aeschylo tantum quae mihi in promtu sunt afferam: Suppl. 708. *ἴσως γὰρ ἢ κῆρυξ τις ἢ πρεσβὺς μόλοι.* Agam. 1347. *πῶς γάρ τις, ἐχθροῖς ἐχθρὰ πορσύνων, φίλοις δοκοῦσιν εἶναι, πημονὴν ἀρκύστατον φράξειεν*, Suppl. 19. *τίνα γοῦν χώραν εὔφρονα μᾶλλον τῆσδ' ἀφικοίμεθα;*

καὶ γυναικῶν φρεσὶν τλημόνων omnium est librorum lectio. Herm. scribi jubet *φύσιν* adductus, quantum conjectura assequor, sequente *καὶ* et propter pleonasmum, si *γυν. φρ. τλ* jungas cum *φρόνημα*. sed *καὶ* profecto metri causa textui invectum est, et *γυν. φρ. τλ.* pendet ex verbo *ἔρωτας*. nullus igitur hic est locus conjecturis, sed sana sunt omnia, modo *καὶ* tollatur.

καὶ παντόλμους ἔρωτας, ἄταισι συννόμους βροτῶν. Hunc locum interpretes desperatum notarunt, neque quidquam adhuc invenerunt, quo sanarent. nihil equidem hujus scripturae, quae est vulgata, mutavi, nisi quod *καὶ* ante *παντόλμους* expuli, quod certe in textum irrepsit propter stropham corruptam, et hoc loco nullo modo ferri potest. quo facto id assequutus sum, ut verba strophae metro arctissime respondeant, et sententiarum nexus nullis difficultatibus laboret. Schutz. suo more in emendanda antistropha aeque audacter egit ac in stropha, primum ut ad praeoccupatam suam opinionem verba, quae in hanc non quadrarent, mutaret, deinde vero poetam ea loquentem faceret, quae nunquam in animum induxerit, qua emendandi ratione si omnes uterentur, nullum mox Aeschylum haberemus. Missas facio ejus emendationes nostro loco prolatas. Clausenius nostrum locum sic edidit: *παντόλμους ἔρωτας, ἔρωτας ἄταισι κ. τ. λ.* optime quidem hac conjectura quoad metrum antistropha strophae responderet, sed ista figura, quamvis Euripides usus sit, Aeschylum tamen nostro loco usum esse nullo modo persuadere mihi possum. Ceterorum interpretum nemo quidquam protulit, quod ad sanandum locum faceret. Reliqua hujus antistrophae eodem modo in omnibus libris scripta reperiuntur; refertur vero ad hunc locum verbum *ἀπέρωπος*, quod apud Hesychium et in Etym. M. invenitur, quodque per *ἀπάνθρωπος* sive etiam *στυγνός* interpretantur. Scholiastes Aeschyli etiam verbo *ἀπέρωπος* adjecit interpretationem *στυγνός*, quare Schutz. scribendum putavit *ἀπέρωπος ἔρως*. Sed nemo hoc vulgatae lectioni *ἀπέρωτος ἔρως* praeferat, qui Aeschylum ejusmodi oxymoris uti solere noverit ut *χάρις ἄχαρις, παῖδες ἄπαιδες, δίκαν ἐξ ἀδίκων, πόλις ἄπολις, νᾶες ἄναες, πόλεμος ἀπόλεμος, ἄπορα πόριμος, μουσόμαντις ἄλαλος, ἄναυδος ἄγγελος, γάμος ἄγαμος, ἄτλητα τλᾶσα*, et id genus alia, verisimile est *ἀπέρωπος*, verbum tam incertae originis et significationis, mendosum esse.

Antistropham ita verto: Sed viri praeferocem animum quis est qui verbis assequatur et mulierum callida mente audentium amores ad quodvis tentandum paratos, qui hominum infortunio sunt conjunctissimi? namque femineum sexum occupans amor libidinosus et hominum et bestiarum conjugalia connubia violat.

Poetae animo in hac antistropha jam obversatur Clytaemnestrae inauditum facinus, quod post commemorata Althaeae et Scyllae scelera in stropha γ fusius verbis exprimit; probasse sibi videtur his exemplis allatis quae generatim dixit: nihil exsistere in rerum natura, quod audaciam humanae mentis superet. Stropham β nullis vitiis excepto verbo *καίουσα*, quod in editionibus legitur, inquinatam esse arbitror; exhibent vero novae editiones aliae *καίουσα* aliae *κάουσα*, quae mera est Porsoni conjectura. Hoc verbum quum non responderet in antistropha verbo *πειθήσασα*, quae est veterum omnium editionum scriptura, etiam illud cum *πεισθεῖσα* mutarunt; sed non facile intelligitur, quomodo, si *πεισθεῖσα* legerint librarii, pro eo minus usitatum *πειθήσασα* substituerint; quodsi veteres libros omnes in scriptura *πειθήσασα* consentire constat, conjecturae hic nihil loci esse posse videtur. Ceterum si quem male habeat *πειθήσασα*, malitque scribi *πιθήσασα*, hoc ego quoque metri causa praeferam, quum *ει* et *ι* saepissime in manuscriptis confusa esse doceat Boeckhius in libro „Staatshaushaltung der Athener II. S. 395. 3." Jam vero in stropha libri veteres habent *καίθουσα* ut Ald.; *κ' αἴθουσα* Rob. Turn. Steph.; hanc lectionem viri docti mendosam judicarunt, et Porsonus emendationem *κάουσα* proposuit. Certum est arbitror *καίθουσα* mendum esse, primum quod nostro loco *καὶ* maxime offendit, tum quod metro antistrophae non respondet, denique quod Canterus exhibet lectionem *καταίθουσα*, qua neque ad metrum neque ad sensum melius quidquam desiderari posse mihi videtur; namque prae-

positio *κατά* quum vim attribuat composito *καταίθειν* prorsus consumendi, nostro loco *καταίθουσα* est aptissimum, quum taeda illa fatalis jam adusta foco detracta esse narretur, id quod prodidit Apollod. 1. 8. usus eodem verbo *κατακαίειν*. —: *ἐγέννησε δὲ Ἀλθαία παῖδα ἐξ Οἰνέως Μελέαγρον, ὃν ἐξ Ἄρεος γεγενῆσθαι φασί. τούτου δὲ ὄντος ἡμερῶν ἑπτά, παραγενομένας τὰς Μοίρας φασὶν εἰπεῖν, τότε τελευτήσει Μελέαγρος, ὅταν ὁ καιόμενος ἐπὶ τῆς ἐσχάρας δαλὸς κατακαῇ. τοῦτο ἀκούσασα, τὸν δαλὸν ἀνείλετο Ἀλθαία, καὶ κατέθετο εἰς λάρνακα.*

Itaque textum strophae et antistrophae ita constituam.

Str. *β.*

ἴστω δ' ὅστις οὐχ ὑπόπτερος
φροντίσιν, δαεὶς,
τὰν ἁ παιδολύμας τάλαινα Θεστιὰς
μήσατο πυρδαῆ τινα πρόνοιαν,
καταίθουσα παιδὸς δαφοινὸν
δαλὸν ἥλικ', ἐπεὶ μολὼν
ματρόθεν κελάδησε,
ξύμμετρόν τε διαὶ βίου,
μοιρόκραντον ἐς ἦμαρ.

Antistr. *β.*

ἄλλαν δεῖ τιν' ἐν λόγοις στυγεῖν,
φοινίαν Σκύλλαν,
ἅτ' ἐχθρῶν ὕπαι φῶτ' ἀπώλεσεν φίλον,
Κρητικοῖς χρυσεοδμήτοισιν ὅρμοις
πιθήσασα, δώροισι Μίνω,
Νῖσον ἀθανάτας τριχὸς
νοσφίσασα προβούλως
πνέονθ' ἁ κυνόφρων ὕπνῳ.
κιχάνει δέ νιν Ἑρμῆς.

Sunt etiam quae ad defendendum hunc textum adjicienda putem. Blomf. Scholiasten *πυρδαὴς* legisse suspicatur, quod verbum habet etiam Vict. et Turn. At librariorum mihi haec futilis esse videtur conjectura, quae nihil habet, quo se commendet. Namque ut omittam, quod hoc tertium esset adjectivum appositum ad *Θεστιὰς*, deinde quod male esset collocatum, tum quod aliquid certe offensionis haberet *τινα* encliticam suo substantivo praecedere: verbum *πυρδαὴς*, si quidem ad *Θεστιὰς* referres, valde, quod ad sensum attinet, esset languidum, ad *πρόνοιαν* vero relatum multo significantius et magis Aeschyleum est. Etenim *πυρδαὴς* non ea qua vulgo interpretes accipiam potestate „ignem accendens, igne consumens," verum potius „ignis gnarus, qui novit vim ignis." Scylla enim non nescivit, titione combusto filio se simul mortem illaturam. *τινα* non est cur deleatur sive emendetur, neque vero, quod nonnulli interpretes praeeunte Scholiasta fecerunt, cum *τὴν* conjungam, ita ut vice pronominis *ὅστις* fungatur, quum quod *τις* non ita disjungitur, tum quod ad sensum ineptum est. *τις* nostro loco habet vim intendendi, quo genus istius facinoris significetur sicuti in vocibus *ποῖόν τι, τό ποῖόν τι.* vernacula lingua dicimus welch ein, was für ein. — Martinus scribi vult *πυρδαῆ ποινὰν προνοίᾳ.* quod etsi non male conjecisse mihi videtur, haud scio an poeta, quum facinoris atrocitatem depingere velit, multum crudelitatis

ei demserit, si Scyllam hoc facinus commisisse ulciscendi causa memoret, ita certe satius fuit, ultionem nec leviter hoc loco attingi, quare malim servari *τινα.*

Pro *δαφοινὸν* Schutz. conjecit *δαφοινοῦ*, quam conjecturam interpretes valde amplectuntur, quamquam, quod equidem video, injuria, nam si probabilem inde elicere sensum liceat, per *δαφοινοῦ* caedem fratrum Althaeae significari conjiciam; sed quum nulla omnino in hac stropha fiat mentio fratrum Althaeae a Meleagro caesorum, uno verbo poetam hanc rem indicare voluisse tam indirecte et obscure, nullo modo persuadere mihi possum, neque vero ita poetam rem instituisse credendum est, ut, quum atrocissimam mulieris audaciam depingere vellet, Althaeae causam subministraret, cur filium opprimeret, qua re omnis facinoris vis valde minueretur. Ceterum ad *δαλὸν* necessario desideratur epitheton, quo indicetur titionem combustum simul pessumdare Meleagrum. Itaque *δαφοινὸν* scribendum esse censui, quod nostro loco significat „sanguinarius, blutgierig," sicuti in Prometh. 1026 *αἰετὸς δαφοινός.* illud vero epitheton usurpari de titione mirari non potest, qui audacissimum Aeschyli loquendi genus noverit.

ἥλικ', ἐπεὶ, utpote genuinam lectionem revocandam esse arbitror, quum quod *παιδὸς* nihil habet unde pendeat, et *ἐπεὶ* i. q. *ἐξ ὅτου*, quo referatur, tum quod *ξύμμετρόν τε* praecessise *ἥλικα* postulat.

νοσφίσασ' ἀπροβούλως habent veteres et recentiores editiones, quod tuetur Ald. et Turn. sed poeta mulierum audaciam descripturus, num verbo *ἀπροβούλως* nostro loco usus sit, dubito, quum officere potius quam favere illi sententiae mihi videatur; ad *πνέοντα* vero qui retulerunt *ἀπροβούλως*, vim verbo attulerunt, quum non significet „sine suspicione". Scribendum puto *νοσφίσασα προβούλως*, quod etiam Glasg. praebet. Scylla consulto illud scelus commisit.

κιχάνει δέ νιν Ἑρμῆς. Scholiastes recte explicat: *τόν Νῖσον, μὴ τὴν Σκύλλαν.* recentiores vero interpretes *νιν* ad Scyllam referunt. Sed multo mihi accommodatius ad consilium poetae esse videtur, ut chorus, postquam dixit, Scyllam consulto patrem capillo immortali privasse, commemoret, mortuum esse Nisum, quam punitam esse Scyllam; namque poenas dedisse sceleratam poeta neque in antecedenti stropha neque in hac chorum loquentem facit, sed in fine universi cantici poenae sceleratarum mentionem facit. Ceterum nusquam in Aeschylo reperiuntur verba *κιχάνει δέ νιν Ἑρμῆς* eo sensu, quo significent idem quod *τίνει Ἐριννὺς μύσος*, sive *δίκην θηγάνει μοῖρα*, quibus et aliis locutionibus Aeschylus utitur sensu poenas solvendi.

Verba poetae in stropha et antistropha *β* ita reddo: Sciat quicunque non est levis animi in discendo, quale consilium ignis gnarum animo conceperit misera ista filium perdens Thestii filia, quae sanguinarium combussit titionem, filio aequalem, ex quo matre procreatus vagivit, comitemque per vitam usque ad fatalem vitae diem. — Atque alia, quae est in fabulis, abominanda, Scylla cruenta, quae virum amicum, ab hostibus adducta, Creticis monilibus aureis confisa, utpote donis Minois, occidit, Nisum, consulto eum privans crine immortali, somnum capessentem, illa impudentissima, et Mercurius eum in Orcum deduxit.

Stropham *γ.* in mendo jacere, nemo est qui non viderit, sed quamquam et emendare et interpretari omnes studuerunt, nemo tamen neque constructionem neque sententiam adhuc expedivisse mihi videtur. Atque codices quum ad sanandum locum nihil suppeditent, ad conjecturas confugiamus necesse erit. Neque vero audacissima Martini conjectura opus, esse arbitror, qui loco *ἀκαίρως δὲ — τίς οἶδ' ὧδε* et pro *τίων δ' — τίς ὧδε* proposuit

quamquam conjecturam ἐπισκόπῳ pro ἐπικότῳ mihi non displicere fateor. Etenim si pro ἐπικότῳ, quod omnes interpretes maxime offendit, in textum recipias ἐπιφόβῳ sive mavis ἐπισκόπῳ et verba σέβας et τίων mutes in σέβειν et τίειν, in antistropha vero pro ἄχει scribas ἄγει, neque constructionem desiderabis expeditiorem, et sententiarum nexus pro consilio poetae est aptissimus. δήπουθεν etiam scripsi, quod codices tuentur et metrum admittit, quare non opus est in δήποθεν mutare, quod haud scio an non reperiatur sensu particulae δήπου. Stropham et antistropham γ igitur ita constituendas esse duco.

Str. γ.

ἐπεὶ δ' ἐπεμνησάμην ἀμειλίχων
πόνων. ἀκαίρως δὲ, δυσφιλὲς γαμη-
λευμ' ἀπεύχετον δόμοις,
γυναικοβούλους τε μήτιδας φρενῶν,
ἐπ' ἀνδρὶ τευχεσφόρῳ,
ἐπ' ἀνδρὶ δήοισιν ἐπιφόβῳ, σέβειν,
τίειν δ' ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων,
γυναικείαν ἄτολμον αἰχμάν.

Antistr. γ.

κακῶν δὲ πρεσβεύεται τὸ Λήμνιον
λόγῳ. γοᾶται δὲ δήπουθεν κατά-
πτυστον. εἴκασεν δέ τις
τὸ δεινὸν αὖ Λημνίοισι πήμασιν.
θεοστυγήτῳ δ' ἄγει
βροτῶν ἀτιμωθὲν οἴχεται γένος.
σέβει γὰρ οὔτις τὸ δυσφιλὲς θεοῖς.
τί τῶνδ' οὐκ ἐνδίκως ἀγείρω;

Chorus non dubitat Clytaemnestram quoque in nefarias mulieres referre, quae mentis pravitate atque audacia omnia superent, quae in rerum natura exsistant terribilia atque abominanda, idque propterea, quod antea jam multis hujus tragoediae locis ejus flagitii mentionem fecisset, et illud abominandum ac vindicandum esse libere confessus esset. Etenim quum missae essent a Clytaemnestra virgines ex quibus chorus constat, ut marito inferias exsequerentur inferosque iratos placarent, tamen hac re valde abhorrentes, Clytaemnestrae diras imprecantur, et triste Agamemnonis fatum conquestae vindicem eam oppressurum se sperare profitentur. videre hoc licet v. 40. seq. v. 49. v. 110. v. 300. quare quum vindex jam nunc adsit Orestes, chorus dicit, intempestivum nnnc esse pietatem etiam servare erga dominos et reverentia eorum de his rebus hoc loco tacere. Itaque πόνων ἀμειλίχων non ad Scyllae et Althaeae flagitia refero, sed ad calamitates et mala a Clytaemnestra profecta. A verbis ἀκαίρως δὲ incipit apodosis, ἀκαίρως nostro loco usurpatum est pro ἄκαιρον δ' ἐστίν, ad quod pertinet σέβειν et τίειν, unde pendent accusativi γαμήλευμα et μήτιδας, atque ἑστίαν et αἰχμάν.

ἑστίαν ἀθέρμαντον δόμων significant focum domesticum a laribus relictum ideoque neglectum, igne carentem.

αἰχμάν sicuti in Agam. v. 470. usurpatum est notione „voluntas, imperium" γυναικός αἰχμᾷ πρέπει πρὸ τοῦ φανέντος χάριν ξυναινέσαι. — ἄτολμον vero vocatur, quod Clytaemnestra timore deorum exagitata, cf. chorum a versu 21 usque ad v. 77., non audet ipsa iratos deos placare, sed per alios hoc faciendum curat.

Pro εἴκασεν.....αὖ Schutz. scribi vult εἰκάσαι...ἄν. Musgr. etiam εἰκάσαι. id quod quidem sensus postularet, quem verbis attribuit, quibus Clytaemnestrae facinus indicari censet, vertit enim: „hoc autem grave facinus haud immerito possit aliquis cum Lemnio comparare" sed haud scio an universae strophae sententia hac interpretatione impeditior reddatur; namque insequentia verba eo sensu annectuntur, ut illa verba potius de quovis facinore intelligenda esse sumas, quod quidem etiam Blomf. recte sensisse mihi videtur, Clytaemnestrae vero flagitium v. 634. demum tangitur.

ἄγει scripsi cum Schutz. Blomf. Both., quos recte id fecisse arbitror, namque ἄχει et et ἄγει saepius in libris confusa reperiuntur, et ἄγει solum nostro loco aptum est. Heath. quidem repugnat, et vulgatam servans verba θεοστυγήτῳ δ' ἄχει vertit: calamitatem ex odio deorum ortam, quod jam Schutz. invita linguae analogia dictum esse animadvertit, sed etiam insequentia verba Heathii interpretationi obstare videntur, quae maxime favent Schutzii. namque chori sententia eo omnino redit: homines solere scelera cum maxime horrendis atque terribilibus flagitiis conferre, quod nemo eum honoret, qui piaculis, Diis exosis, perpetratis perit. Heathii vero sententia haec esset: quod nemo eum honoret, qui calamitosus perit, quae certe sententia choro aliena, neque ad sensum universum apta videtur.

Stropharum sensum ita reddo: Postquam memoravi atrocia (Clytaemnestrae) mala, intempestivum nunc est venerari etiam connubium (Aegisthi et Clytaemnestrae) domibus detestandum, mulierisque callida consilia adversus virum armipotentem, virum hostibus terribilem, ac colere focum domesticum neglectum, mulierisque voluntatem ignaram et nihil audentem. Malorum primum locum obtinet in ore hominum Lemnium facinus, namque deploratur utique cum abominatione. Atque solent homines quodvis facinus infandum cum Lemnio scelere conferre, et mortalium genus piaculo Diis inviso perpetrato perit ignominiosum, nemo enim, quod Diis invisum est, colit. Nonne ego haec (de Clytaemnestrae quoque facinore) juste proferam?

Quae nunc sequuntur stropha δ. et antistropha in iis Chorus vertit ad poenas indicandas, quas Clytaemnestra es Aegisthus solvent, innuit caedem quam perpetraturus est Orestes, qui cum Pylade, dum chorus flagitia Clytaemnestrae hoc carmine persequitur, abierat, ut fallacem viatoris speciem assumeret. Apte poeta ultimo hujus carminis loco ultionem commemorat, ut inde ad tragoediae redeat actionem, quae sicuti sensu ita et metro, quod jambicis versibus absolutum ad sermonis metrum redit, fini hujus carminis arctissime annectitur. Hanc stropham, quae non sine vitiis in manuscriptis et editionibus legitur, ita constituam.

Str. δ.

τόδ' ἄγχι πλευμόνων ξίφος διανταίαν
ὀξυπευκὲς οὐτᾷ,
διαὶ Δίκας. τὸ μὴ θέμις γὰρ οὐ
λὰξ πέδον πατούμενον
τὸ πᾶν Διὸς σέβας παρεκβάντες οὐ θεμίστως.

Antistr. δ.

Δίκας ἐρείδεται πυθμὴν προσχαλκεύει δ'
αἶσα φασγανουργὸς

τέκνον δ' ἐπεισφέρει δόμοισιν ἐκ
δωμάτων παλαιτέρων
τίνειν μύσος χρόνῳ κλυτὴ βυσσόφρων Ἐρινύς.

Vulgo *ὀξυπευκὲς σοῦται διὰ Δίκας* legitur, quod metro repugnat. Blomf. metro subveniri posse putat, si *ὀξυπ. σουτ.* transponantur. sed malim amplecti quod Hermannus vel optima conjectura scribendum proposuit *οὐτᾷ.* quod si pro futuro accipit, ad sensum quoque est aptissimum. *οὐτάζειν* eodem modo usurpatur in Agam. 1315. *τὶς πληγὴν αὔτεῖ καιρίως οὐτασμένος.* et apud Hom. Il. *ο.* 528. *οὔτασε δουρί.*

διαὶ Δίκας, quod habet Ald., praeferam Schutzii conjecturae *βίᾳ Δίκας.* quod Schutz. dicit Justitiae tribui gladium facinorum vindicem, qua imagine nostro loco nihil esse sublimius; possis quidem in dubium vocare, num ejusmodi cogitatio omnino Aeschyli temporibus sit tribuenda, certe ex hoc loco eam non efficies nisi interpretandi artificiis. Sententia ad Orestem referenda est, qui a Justitia impulsus poenas impii sceleris exiget; etenim in universa fabula Orestes fingitur ab Apolline provocatus vindex, qui mortem jam nunc illaturus est Clytaemnestrae et Aegistho.

Sensum verborum *λὰξ πέδον πατούμενον* Scholiastes mihi perspexisse videtur, quum explicat: *τὸ γὰρ μὴ δίκαιον οὐ δεῖ ἀμελεῖσθαι,* ubi verbum *δεῖ* tantum falsum est, debebat interpretari: *οὐκ ἀμελεῖται.* nec est quod cum Schutz. dubitemus, num verba *λὰξ πέδον πατεῖν* sensum habeant negligendi, hoc ita esse ex loco Eumenidum apparet *v.* 110. *καὶ πάντα λὰξ ὁρῶ πατούμενα.* Hermanni conjectura, qui *οὐ* delendum censet, improbabilis mihi esse videtur, quod ita sensus vix e verbis eliciatur nisi quaesita interpretatione: videtur v. d. ad hanc conjecturam mutilata antistropha adductus esse, stropha certe sana est, in antistropha vero praepositionem *ἐκ* excidisse suspicor, quam ante *δωμάτων παλ.* inserui.

Δίκας δ' ἐρείδεται πυθμὴν Schutz. interpretatur Justitiae solum sive basis firmatur. Blomf. intelligi vult aram Justitiae. Neutrum sententiam poetae assequutum esse arbitror. Non video cur Schutz. verbo *πυθμὴν* notionem „radix" deroget, quum saepius apud Aeschylum reperiatur sensu stirpis imae e. g. Prometh. *v.* 1048. Glauc. *v.* 25. Choeph. *v.* 202. et Hesychius quoque verbum ita interpretetur: *πυθμένες: βάσεις αἱ κάτω τῶν δένδρων.* sed quum sensus verborum nexum ipsi turbare videretur, correxit *δίκη ἐρείδεται πυγμὴν*: Justitia autem roboratur quoad pugnum i. q. viribus in pugnum collectis, quae quidem interpretatio neque a sensu neque a notione verbi *ἐρείδειν* quidquam habet, quo commendetur. sed quem sensum verbis subjicias quaeritur. Poeta Justitiam cum arbore confert. quae sicuti robore ac vigore crescit, si topiarius quaecunque germina ac rami pullulant inutilia ac vigori arboris nocentia amputat: ita et Justitia, quae inter mortales colit, justosque omnes habet quasi robur ac radices, stabilitur et invicta evadit, si Parcae, quae tanquam ministrae sunt Justitiae, omnes, qui exstiterunt scelerati, et Justitiam negligentes, et ita quasi ejus vim infirmantes, trucidant ac poenas exigunt. Haec imago si ad verba nostri loci transfertur, omnia, quod est poetae consilium, bene mihi quadrare videntur. neque est, quod vulgatam *προσχαλκεύει* mutes in *προχαλκεύει,* quod auctoritate caret; praepositio *πρὸς* verbo *χαλκεύειν* attribuit notionem subministrandi ad nostrum locum aptissimam, et metrum fert ancipitem.

τέκνον δ' ἐπεισφέρει δόμοισιν ἐκ δωμάτων παλαιτέρων. Schol. interpretatur: *ἐπεισφέρει δὲ τοῖς οἴκοις τέκνον παλαιῶν αἱμάτων. ὅ ἐστι. τίκτει ὁ φόνος ἄλλον φόνον.* Non recte explicuisse Scholiasten verba manifestum est, quum quod in hac stropha poeta chorum non

de nova caede scelesta perpetranda, sed de ultione exigenda loquentem facit, tum quod idem chorus infra *v.* 793. a Diis precatur: *γέρων φόνος μηκέτ' ἐν δόμοις τέκοι.* Probatur certe a choro ultio, quam petiturus jam nunc est Orestes propterea quod abhorret nefaria Aegisthi et Clytaemnestrae scelera, poenasque vult repetitas a nova ista scelerata Aegisthi domo, et quod Orestes a Deo ipso ad patris mortem caede Aegisthi et Clytaemnestrae ulciscendam impellitur. Recentiorum editorum nonnulli pro *δωμάτων* in textum receperunt *αἱμάτων,* id quod non recte eos fecisse arbitror, quum in nullis codicibus haec lectio reperiatur, quam ex scholiasta fluxisse sine ulla dubitatione confirmaverim, qui quidem verba *δωμάτων παλαιτέρων* hoc verbo explicare voluit. sed ista explicatio quantumvis sensui, quem verbis: *τέκνον δ' ἐπεισφέρει κ. τ. λ.* attribuit, convenit, tamen nostro loco, quod jam supra demonstravi, falsa est.

Vulgatam *τίνει μύσος* in *τίνειν μύσος* mutandam esse censeo, qua facillima conjectura et constructio et sensus hujus strophae adjuvatur, neque opus est verbum *τίνειν,* quod fecit Stanl., accipere potestate puniendi, qua nusquam reperitur, sed vulgari notione poenas solvendi, modo ne cogites ad infinitivum *τίνειν* ex antecedentibus verbis *τέκνον δ' ἐπεισφέρει δόμοισιν* subjectum *τέκνον* sed *δόμοις* i. q. Aegisthum et Clytaemnestram. Haec verborum explicatio multos interpretum fugisse, et falsa scholiastae interpretatio verborum *τέκνον δ' ἐκ. δομ.* eos adduxisse videtur, ut praeferrent lectionem, quam habet Med. Ald. Rub. *τείνει,* quod chorum dicere opinabantur, seriem scelerum in domo Pelopidarum extendi. sed quam ineptum sit, chorum, qui modo depinxerit atrocia Clytaemnestrae et Aegisthi facinora, quique ira adversus impios sceleratosque dominos incensus (*v.* 770—824.) Oresti vindici deorum auxilium imploret, nostro loco potius commemorare scelus sceleri annecti, quam poenas ab improbis istis hominibus expeti, nemo est, qui non videat.

Adjiciam etiam strophae et antistrophae interpretationem: Sed gladius sub latere saevus plagam adversam (Clytaemnestrae et Aegistho) infliget per Justitiam, neque enim injusta facinora (a Diis) negliguntur; isti vero omnem Jovis reverentiam injuste violarunt. Atque Justitiae robur stabilitur, et Parca procudit gladios, Erinys vero, profunda mente pollens, tandem exaudita, filium veteris domus immittit in domum (Clyt. et Aeg.) ut isti poenas impii sceleris luant.

Dr. Knick.
